

000000 A 231  
6

Handwritten notes in pencil:  
Hust.  
C. 1.



ae

LXXI.

27

DISSERTATIO  
HISTORICO-ACADEMICA  
ANNIVERSARIA  
PRIOR

De

B. M A R I A  
VIRGINE,

Quam cum

D E O

&

Superiorum Suffragio

In

AUDITORIO MAJORI

publicè

tuebitur

PRÆSIDE

M. JACOBO TYDÆO, Hist. P. P.

MICHAEL RENNER,

Thoruniens. Boruss.

Ad diem Febr. Anno M. DC. LXXVII.

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT.

BRAND. ET ACAD. TYPOG.



VIRIS

*Nobilissimo, Amplissimis, Consultissimis,*

**DN. CHRISTOPHORO Patton /**

Sereniss. Elect. Brandenb. Consiliario, & Dyca-  
sterii Aulici Adessori Eminentissimo.

**DN. GEORGIO Depner /**

Sereniss. Elect. Brandenb. Substituto Fisci,  
& Judicii Aulici Advocato Ordinario,  
Dignissimo.

Nec non

*Spectatissimo, Integerrimo atq; Doctissimo,*

**DN. FRIDERICO Schreiber /**

Civi apud Palæopolitanos Primario,  
Hospiti suo Munificentissimo.

Ut &

*Præ-Eximiis Præstantissimis ac Politissimis,*

**DN. FRIDERICO Lunitz / J. U. C.**

**DN. FRIDERICO Kohnisch / J. U. C.**

Patriciis Regiomontanis Florentissimis,

*Dominis Evergetis, Patronis & Fautoribus  
suis maximopere honorandis  
offert.*

**Michaël Kenner /**

# Cum Jesu!

§. I.



Non ita pridem illuxit per DEI gratiam illud anni tempus, quo pia memoria recolimus summam DEI Patris Φιλανθρωπίαν, qua ductus nobis miseris filiū suum in carne manifestavit, qui quoad Deitatem ἀμείτωρ & quoad humanitatē ἀπάτωρ. Justum itaq; mearum quod est partium, duxi presentem hunc laborem sacrum de B. Genetrice Salvatoris nostri his in terris (quanquam omnia fere, præter ea, quæ Sacre pandunt Pandectæ, fabulis incrustata) hac vice pie meditari. Imposterum quoq; si per DEI gratiam & Respondentes, qui hiè corvo albo variores, licuerit, alia subsequenter ἀσκήματα.

## Nunc de B. MARIA DEIPARA,

Decujus nomine

Ridiculum est Stellarium Corona B. Virginis, cujus meminit Sixtin. Amama, dum ita inquit: Quid est congregatio aquarum (puta Gen. 1. 10.) nisi congregatio omnium gratiarum in locum unum, i. e. in Virginem Mariam. Congregationē gratiarū in DEI matre DEUS voluit vocari Maria à Mari. In hoc tamen est differentia, quod congregatio aquarū vocatur Maria, mediā correptā; congregatio gratiarū Maria, mediā producta. Causa, cur maria, mediā correptā, quia transitoria est & brevi tempore erit. Mare abiit & jam non est: Maria, media producta, quia ista congregatio perpetua est in virgine. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. En ineptias! Ita optime

l. 2. Antib.  
Bibl.  
ad v. 10. c. 1.  
Gen.

Apoe. 21.  
Luc. 10.

A 2

con-



concludit Sixt. Am. l. c. Male quoq; nonnulli derivant  
 vel à מר stilla sive gutta, & ים quod mare, quasi dicta sit  
 In Arc. Noe stilla maris. vel à מרה rebellis fuit, ut *Marinus Brixia-*  
 p. 408. nus. Male quoq; qui *Mariam* dictam quasi *stellam maris*  
 Hom. 2. ad jactitant, ut *Bernhardus* & *Canisius*; Nomen *Maria*, quod  
 loc. Luc. Et interpretatum *maris stella*, valde convenienter matri  
 Canisius cap. 2. de spe & vrgini aptatur; quia sicut sine sui corruptione sidus *He-*  
 Orat. Do. breicè suum emittit radium, sic absq; sui læsione virgo  
 minica. parturit filium. Errore forte ducto ex *Hieronymo* (qui  
 num. 18. de *stellam maris* Ionare tradidit) vel non rectè intellecto,  
 salut. An- vel malè lecto, teste *Drusio*. Et hanc interpretationem  
 gel. avidè arripit *Barradius*, & *Mariam* dici putat *stellam ma-*  
 lib. de no- ris ideò, quod illuminet mundum, qui comparatur ma-  
 minibus He- ri. Et l. c. *Barradius* prolixè ineprit probare hoc nomen  
 braicis. l. 1. 99. Virgini DEI generici jam ab æterno à DEO destinatum,  
 Hebr. q. 53. ac illud solum cum nomine JESU in libro vitæ inscri-  
 Harm. E- ptum. *Bonaventura* autem, *Mariam* dictam putat qua-  
 vangelist. l. si mare amarum, dum inquit: *Maria mare est gratia ab-*  
 6. s. 4. luendo, amara filio compatiendo, & amarum mare diabo-  
 lum submergendo. Non malè autem alii dictam putant  
 vel à מר altus, elevatus fuit, aucto nomine ab initio  
 per מ more Hebræorum, ut ita מרים (cujus nominis  
 Luc. 1. v. prima mentio fit Exod. 15 v. 23 ubi ita vocabatur soror Mo-  
 28. sis) Syriacè מרים (nam quæ Hebraicè initio habent  
 l. ea Syriacè cum A, pronunciantur. Sic *migdal*, *Syria*  
 oppidum, Syriacè est *Magdal*) dicta sit quasi *Excelsa*, eo  
 quod excelsa fuerit præ cæteris mulieribus: vel à מרה a-  
 marus fuit. Atq; ita *Maria* significabit *amarã* h. e. valde  
 Serm. de tristem, per Metaphoram. Unde non malè nomen hoc  
 Laud. B. Vir. Epiphanius interpretatur *myrrham maris* à מר myrrha.  
 giss. Magna.

Magna enim velut mare fuit contritio ejus, ubi viderit filium suum dilectum ab hostibus rapi ad supplicium. Hic enim gladius ille, qui trajecit animam ejus, vaticinii Simeonis. Caterum Orationes ad B. Mariam, quarum singulae incipiunt à singulis literis nominis Mariæ, utpote M, denotat *Mediatricem* DEI & hominum: *A. Auxiliatricem*, *R. Reparatricem* debilium. *I. Illuminatricem* cœlorum. *A. Advocatricem* omnium peccatorum. Lege Chemnit:

In Part. 3.  
Exam. Con-  
cil. Trident.

§. 2. Genealogiam B. Virginis è linea paterna damustalem.

Avus Mariæ.

Matban, qui dicitur Mathath

Matth. 1.

| hujus filii erant

v. 15.

Jacob & Heli, qui & Joachim dictus

Luc. 3. v. 24

| Hic genuit |

Matth. 1.

Josephum, Mariam

v. 16.

Sponsum Mariæ

Luc. 3. v. 23.

Lineam B. Virginis maternam ex Hippolyto, Nicophorus & Tornielus dant talem:

Matth. 1.

v. 16.

Mathan è Maria conjugegenuit

l. 2. c. 3.

In Annal.

1. Mariam. 2. Sobam. 3. Annam.

S. ad A. M.

4037. n. 5.

| Hæc in Berthe-  
hem genuit.

| Ibid.

| In terra Galilææ.

Salomen,

Elisabeth.

Mariam. DEI genetricem.

Johannem Bapte.

Ast ultrò hæc corruunt, quia nullo tibi sine nituntur. Nobis subsequens arridet schema.

A.

Mathan



*Mathan genuit.*

*Jacobū & Heli. qui & Joachim. Hic ē conjugē Annā genuit*

*Josephum*

*Mariam, Matrem Domini,*

*Avus itaq; Josephi & Mariae idem. Annam autem post obitum Heli, seu Joachim duos adhuc habuisse maritos, vulgata opinio est, de qua indoctum carmen*

*Harm. c. 70 Chemnit. ita recitat:*

*Anna solet dici tres concepisse Marias:*

*Quas genuere viri Joachim, Cleophas, Salomeq.*

*Has duxere viri: Joseph, Alphaus, Zebedaeus.*

*Prima parit Christum, Jacobumq; secunda minorem,*

*Et Joseph justum peperit, cum Simone Judam,*

*Tertia majorem Jacobum, volucremq; Johannem.*

*Verum & haec admodum incerta, partim quod Salome non nomen viri, sed mulieris: partim quod omnes fere conveniant, Annam Matrem Virginis Mariae non habuisse tres maritos, sed unum Joachimum. Haec*

*Appar. num. 20. Appar. Ann. Eccl. autem non alia ratione adducta sunt, ajunt Spondanus & Baronius, quam quod in Evangelio mentio habeatur de*

*Appar. Ann. Eccl. ejusdem DEI - Genetricis sorore Mariae Cleophae: cum Fratrum & sororum nomine in divinis Scripturis cognatos etiam ac propinquos intelligi, nemo sit tam ignarus, qui nesciret.*

*§. 3. Fabulantur autem, quod Mater Domini per osculum à sterili matre concepta, & inter varia miracula nata, quippe cum infans esset sex mensium, jam firmis pedibus obambulasse, & in templo cibus manu Angeli ministratis nutritam, Josephi non conjugio, sed curæ, per signum columbae & baculo evolantis, commendatam, uti Protevangelium Jacobi testatur, teste Micralio*

*Et*



Et Nicephorus: Joachimi & Anna parentum erant nomina, l. 2. H. E. q. 13.  
 inquit; Vitam ad senectutem, sine prole edita, produxe- l. 1. c. 7.  
 rant. Erat enim ad liberorum procreationem Anna alvo in-  
 fecunda. Et quum ob sterilitatis causam non haberet com-  
 munes cum matronis & matribus à lege tributos honores,  
 exemplo matris Samuelis ipsa quoq; fit supplex DEO, & in  
 templo sedulo versatur, ne scilicet à benedictionibus legis ex-  
 cluderetur, sed ut ei matri esse liceret, orans: ac quod pari-  
 tura esset, ipsi DEO dicaturam se esse vorvens. Itaq; divino nus-  
 tu, ad eam, quam petierat, gratiam, Anna confirmata atq;  
 roborata, postquam puella è maternis prodiit locis, Mariam  
 eam statim nominavit. Fabulam Arabum de parenti- l. 1. de Orig.  
 bus Mariæ ex Alcorano recitat Hattingerus: Ajunt, inquit Muham.  
 fuisse eam (Matrem Mariæ) sterilem vetulam. Cumq; ali- l. 1. c. 3. Hist.  
 quando recubaret sub umbra arboris, atq; videret volucrum, Orient.  
 qua pullum suum cibavit, magno desiderio, & amore fruen-  
 da prolis incensam eam dixisse: O DEUS, votum tibi super  
 me: si prolem mihi concesseris, cui ad sacra operam suam lo-  
 care liceat, erit illa ex ministris ejus. Galatinus eandem  
 fere canit cantilenam, dum ait: Parentes Maria cum à l. 7. de Ar-  
 templo tanquã profani à sacerdotibus cum increpatione ex- canis Cath.  
 pulsi fuissent, eò quod steriles essent etiamsi senio confecti, fili- Ver. cap. 8.  
 os nondum genuissent: DEUM mæsti & supplices rogarunt, ut  
 eis sobolem ad ejus servitia procreandam, concederet. Qui-  
 bus exauditis, apparuit Angelus seorsum utriq; nuncians,  
 prolem eos in DEI obsequium genituros, ita dicens: Ego sum  
 Angelus Domini missus ad te, ut annunciem tibi preces tuas  
 exauditas esse, & eleemosynas tuas in conspectum Domini  
 ascendisse. Vidi enim pudorem tuum, & audiui sterilita-  
 tem, & opprobrium non recte tibi objectum — Juxta igitur



eur angelicum praeceptum ambo sibi obviantes, de mutua vi-  
sione letati, ac de promissa sobole securi & certi, adorato Do-  
mino, domum redierunt, divinum promissum hilariter ex-  
spectantes. Fabulis autem hæc incrustata vanitati re-  
mittimus.

6. 10.

§. 4. Interim prolixè idem Galatinus probat im-  
macularam B. Virginis conceptionem, & tandem con-  
cludit Matrem Messia nunquam quoq; passam fuisse  
menstrua, cujus rationes l. c. lege. Verum hæc partim  
incerta, partim aliena: itaq; falcem in alienam messem  
mittere nolumus. In hujus autem rei memoriam ad  
d. 8. Decembr. institutum est Festum Conceptionis B. Ma-  
ria. Hujus festi originem Bellarminus rejicit in tempora

Tom. 1. D. Bernhadi, qui claruit circa annum Domini 1120. Ans-  
Disp. helmus autem Cantuariensis Archi-Episcopus ejus origi-  
nem ad paulo antiquiora tempora refert, dum hujus

In Epistola sua ad Coe-  
piscopos su-  
os apud Ja-  
cobum de  
Voragine,  
in Historia  
Lambardi-  
ca c. 188.  
festi originem hanc fuisse scribit: Tempore enim, quo di-  
vina placuit pietati, Anglorum gentem de malis suis corri-  
gere, gloriosissimo Normannorum duce Guielhelmo eandem  
patriam debellando subegit. Et regi eorum Haraldo nomi-  
ne, tyranno & cleri persecutori, reddidit in bello pro meritis  
talionem. Quo caso Guielhelmus factus DEI virtute An-  
glorum Rex. Audientes autem Daci Angliam subjectam esse  
Normannis, graviter indignati arma preparant & classem  
aptant, ut eos adeuntes à data sibi divinitus patria expellant.  
Hoc comperto, Guielhelmus Rex Helsingum, Abbatem Rame-  
sensis cœnobii ad Daciam dirigit, ut inquiret veritatem hu-  
jus rei. Negotio hoc fideliter peracto, ad Angliam reverti  
cupiens mare ingreditur, — subito autem densis surgenti-  
bus undiq; ventis, horrida tempestas Coelum commovit &  
undas

undas. Fractis itaq; remis, funibus ruptis, cadentibus velis, spes salutis amittitur: cumq; interea beatissimam DEI genetricem Mariam invocarent, subito quendam veneranda habitudinis virum Pontificali infula decoratum, quasi inter undas navi proximum viderunt. Qui advocans ad se Hel- sinum: vis, inquit, periculum evadere? vis ad patriam sanus ire? Cumq; ille cum fletu desiderare id solum responderet: tunc ille, scias, inquit, me ad te à Domina nostra DEI gene- trice Maria, ad quam dulciter reclamasti directum: & si dictis meis obtemperare volueris, sanus cum comitibus im- minens evades periculum maris. Spondet ille. Hic itaq; pro- mitte, inquit, mihi & DEO, quod diem Conceptionis Matris Christi celebrabis. At ille, ecquis, inquit, mihi dies hoc fe- sto erit celebrandus? Sexto, ait, Idus Decembris hoc festum tenebis &c. His dictis ille disparuit, (quem Petrus de Na- talibus refert Virum hunc respondisse, se esse Nicola- um Episcopum, à B. DEI genetrice pro eorum libera- tione transmissum) & citius dictu sedata tempestate, Ab- bas cum suis incolumis applicuit Anglicis littoribus. Post hac statim illud festum quo ad vixit solenniter celebravit. Fa- cta sunt hæc, si vera dicuntur, Anno Christi 1068. At ve- ro fabulam redolent omnia. Ne verbo enim in pro- batissimis Hist. Ang. Scriptoribus hujus rei gestæ men- tio fit, Porro Haraldus, qui Anshelmo impius & cleri persecutor audit, Polydoro Vergilio est vir clemens ac li- beralis. Et Guielhelmus ille Normannus, quem fictus hic Anshelmus multis deprædicat laudibus, apud eundem Polydorum male audit. Et deniq; Petrus de Natalibus in- stitutionem festi hujus ipsi Anshelmo adscribit; tumq; ea, quæ fictus Anshelmus Helsingo in mari accidisse re-

l. 1. Catal.  
Sanctor.  
cap. 13.

l. 8. Hist.  
Angl.

l. 9.  
l. 1. Catal.  
Sanct. c. 13.

B

fert,

fert, ipsi evenisse Anshelmo scribit. Quicquid autem sit, quandocunq; fuerit institutum; refert tamen Petrus de Natalibus, illud nimirum non fuisse institutum ob conceptionem Mariae, sed ob eius sanctificationem, dum ait: *celebrari capisse ob sanctificationem ejus in utero, quia vero tempus hujus sanctificationis fuerit ignotum, sub nomine conceptionis institutum de tali sanctificatione.*

§. 5. Quo vero Anno Mundi B. Maria nata, maxime inter se discrepant Chronologi, adeo, uti nulla inter horologia speranda concordia, ita nec inter Chronologos. Itaq; si vera assertio Cl. Calvisii qui Christum natum asserit Anno Mundi 3947. necesse erit, Mariam Matrem ejus, natam Anno Mundi 3932. quia consensu Historicorum B. Maria Salvatorem mundi peperisse putatur Anno etatis suae 15. vel ineunte 16. Trimula enim cum esset, ait Nicephorus (loquitur autem ibi de DEI para Virgine) & cum eo Baronius & Spondanus ac Torriellus, in templum est praesentata, & ibi in Sanctis sanctorum traduxit annos undecim: deinde vero Sacerdotum manibus Josepho ad custodiam est tradita: apud quem cum menses peregisset quatuor, ab Angelo Gabriele laetum illud accepit nuntium. Peperit autem mundi ipsius lucem, annum agens quindecimum, 25. die mensis Decembris. Sic Nicephorus l. c. ex Evodio. Nata autem dicitur in Civitate Nazareth regionis Galileae, nocte, die 8. Septembr. juxta Durandum, qui de festo Nativitatis Mariae testatur, festum hoc demum circa annum 695. per illusionem Sathanae a Sergio Papa institutum fuisse (si credere fas sit) hac occasione: Vir quidam pluribus annis audivit angelos hac nocte sclemnizantes in caelis: cui causam quarenti, revelatum est, angelos gaude-

in Isag.  
Chron. c. 46

l. 2. c. 3.  
In Appar.  
in Annal. S.  
ad A. M.  
4037.

l. 7. c. 28.

re.



re, quod B. Virgo nata fuerit illa ipsa nocte. Hoc Papa Sergius comprobavit, & festum Nativitatis ejus 8. die Sept. celebrare precepit. Hospinianus autem ait Festum hoc olim non habuisse Octavam, sed Innocentium IV. Papam eam instituisse circa annū Christi 1244. Vacante enim Romana Ecclesia per obitum Gregorii IX. Romani omnes Cardinales in quodam conclavi incluserunt, ut citius provideretur Ecclesie. Sed quum per plures dies concordare non potuissent, & ipsi à Romanis multas molestias sustinuis-  
 sent, Cardinales Maria voverunt, si ejus meritis concordarent, & abire liberè possent, Octavas sue Nativitatis celebrandas instituerè velle. Sicq; Coelestinum Papam elegerunt & liberati sunt, votumq; adimplevit Innocentius IV. quod Coelestinus solum 18 dies supervixisset.

De Orig.  
 Fest. ad d. 8.  
 Sept.

§. 6. Posthac quum Maria infans à lacte materno jam abhorruit, & mammam attingere noluit, promissionem mater adimplet, & in templum ascendens, juxta votum, eam DEO consecrat, tertium jam tum ætatis agentem annum. Itaq; Sacerdotes eam tanquā sanctius quoddam donarium suscipere, & puellam in sacrario fovendam esse duxere ad antiqui illius Samuelis similitudinem, ibi deniq; mansit XI. annis continuis, ut in DEI servitio, cum aliis ejusmodi puellis educaretur, donec adveniret tempus, quo nuptui tradenda foret. Ita Nicephorus, Tornielus; adde & Baronium, ac Spontanum, Fabulam quoq; Alcorani hac de re prolixè recitat Hottingerus. Sed mittimus fabulam Autoribus suis. In memoriam autem ejus, quod Maria ex matre sua Anna sterili nata triennis DEO consecrata sit, Festum Præsentationis B. Mariae Constantinopoli in Novembr. circa an-

l. 1. H. E. c. 7.  
 § l. 2. c. 3.  
 in Ann. S.  
 ad A. M.  
 4040. n. 1.  
 in Appar.  
 Ann.  
 in Appar.  
 n. 21.  
 in Hist. O.  
 rient. l. 1. c. 3.

num Christi 730. celebratum fuisse legitur. Posthac progressu temporis coepit etiam inter ceteras nationes hac solennitas celebrari. Id quod intelligitur ex Bulla Pauli, 2. quae extat in *Hist. Lom. c. 84.* ubi scribitur: *Wilhelmum Saxonia ducem à Pio secundo petiisse, ut Festum hoc Præsentationis Mariæ sibi liceret celebrare annuatim in sua ditione, quod postquam obtinuit, festum hoc posuit in diem 22. Novembris.* Prolixe *Hospinianus de Orig. Fest.*

§. 7. Cum autem Maria attigisset annum ætatis decimum quintum, consilium Sacerdotes agitarunt, quid de ea statuerent. Sape autem & multum re deliberata, tandem de maritando eam concludunt. Itaq; circa initia mensis Decembris, nimirum quarto, *ut arbitratur*

*ad A. M. Torniellus & Nicephorus ante Dominicam Annunciationem, mense, deligitur in maritum Virginis Vir justus*  
*4050. n. 3. l. 2. c. 3.*

*Ioseph ejus contribulis, ex stirpe David oriundus, sed opificio faber. Neq; enim ad pecuniam vel ad honores respicere, sed ad genus per antiquam lineam ductum atq; probatum, in contrahendis nuptiis penes Judæos fuisse consuetudinem, testatur Josephus. Sic vero desponsata Virgo parentibus reddita est, qui eam domum reducerent, & quæ ad futuras nuptias essent necessaria præpararent. Quod attinet annulum desponsatorium tum*

*l. 1. cont. Appion.*

*Tract. de fabellam eam Wasevvitz ita recitat. Servatur Perusii in Turt. Joh. hav. c. 9. Italia, in Templo S. Laurentii summa veneratione & populorum concursu, annulus quo B. Joseph. Mariam desponsavit, estq; miraculis clarus, à Clusinus ad Perusinos divina providentia delatus. Historiam describit eleganter Johannes Baptista Laurus Perusinus. Non potest autem dignosci ex qua materia sit: non enim ex argento aut auro, sed ex lapilli alijus*

cujus genere est. Solent vero matrona conflatos ex ebore annulos Perusium mittere, attactu illius consecrandos, in partu profuturos, de quo sic Baptista Laurus: Ego quoque Roma ab hinc quadriennio principum aliquot foeminarum rogatu annulos ex ebore conflatos Perusium transmisit, curavitque attactu nostri, quasi divinam ex eo hausturos in dolent, consecrari: eo quod assererent partui propinquas mulieres difficili nixu se excruciantes, si hos annulos digito gestassent, sublevari. Annulus quoque iste sacratissimus Deipara reconciliandis conjugum dissidentibus animis, mire prodest, cujus rei gratia plures voto astricti, se Perusium conferunt, & fructu domestica pacis feruntur eliminata discordia. Denique multi a Daemonibus vexati & obsessi ad aram sacram, ubi hic annulus servatur, confugientes, liberati sunt. Nec hoc silendum, quod cum nobilis & regii sanguinis foemina Wuldrata precipiti pietate, dum ei gemma spectanda exhiberetur, manu eam accepisset & digito annulari inseruisset, illum protinus digitum exaruisse in poenam temeritatis. — De quo annulo sic quondam lulisse fertur Urbanus IIX.

*Imbriferis arcus fulgens in nubibus, orbem*

*Effer a diluvii damna timere vetat.*

*Sic DEUS omnipotens voluit. Decus, annule, majus*

*Est tibi quem supplex Urbs Perusina colit.*

*Is gemino constans arcu, felicior index*

*Nam per agit virgo nupta salutis opus*

*Virgineo terra conjungens foedere caelum:*

*Hoc duce non pelagi non stygis unda nocet.*

Hac de annulo desponsatorio.

§. 8. At quid dicemus de aetate Josephi, sponsi Mariae? Epiphanius existimat ipsum Josephum provec-  
tae *ber. 78.*

B 3

tunc

tunc admodum fuisse ætatis, & octogesimum forte æta-  
 tis annum excessisse. Huic ad stipulari videtur commu-  
 nis pictorum consuetudo pingendi ipsum valde senem.  
 U. 1. c. 7. Unde & *Nicephorus* ait, quod non alius ipso *Josepho* vi-  
 sus sit magis idoneus ad solorum sponsalium conjun-  
 ctionem contrahendam: quippe qui propinquitate gene-  
 ris eam contingeret: in super verò & senio & honestate mo-  
 rum jam pridem bonæ fidei existimationem consecutus esset.  
 in Ann. Ec- Baronius quoq; & Spondanus, utut non audeant dictū  
 clef. ad Ann. Christi 12. *Epiphani*, tanquā quodammodo dubitative prolatum,  
 adstruere, in ea tamen sunt sententia, *Josephum* fuisse  
 maturioris ætatis, cum sanctissimam Virginem, in cu-  
 stodiam fidissimam suscepit. Objectioni quoq; satisfa-  
 ciunt, si quis dixerit, oportere *Josephum* fuisse juniorem  
 ad subeundos peregrinationis labores; Quasi vero non po-  
 tuerit esse senex robustarum virium, & infracti roboris,  
 ita ut de ipso pariter dici potuisset, quod de *Aser* legitur  
 Deut. 33. Sicut dies juventutis tuæ, ita & senectus tua. Utut autem  
 v. 25. res sit de raris contingentibus, plane tamen non impos-  
 sibilis est. Et hoc ipsum responderi quoq; poterit *Tole-*  
 in Luc. 1. 10 ad ea, quæ habet, dum ait: ministerius, ad quæ electus fu-  
 annot. 59. erat *S. Joseph.* nimirum ut *B. Virgini*, & ipsi pariter *Christo*,  
 in his, quæ ad corporalem vitam spectant, deserviret provi-  
 deretq; tam provec̄ta ætas inepta videbatur, cum ipse alieno  
 potius obsequio indigeret, quam aliis posset exhibere. Et quod  
 à pictoribus *Joseph* in ætate senili depingi consueverit: ad re-  
 presentandam nobis ejus castitatem factum est. Hactenus  
 in Ann. Sacr. ad A. *Toletus*, cui calculum suum adjicit *Torniellus*, qui certum  
 M. 4. 250. quoq; ætatis *Joseph* annum determinat, dum in fit: cujus  
 n. 4. (scilicet *Toleti*, cujus verba hactenus recitavit) senten-  
 tia



ria nos multo libentius subscribentes, satis probabiliter conjectare possumus, ipsum Joseph fuisse annorum circiter triginta & octo, quando sibi sanctissimam Virginem desponsavit. Verum de re dubia nil certi definiri potest, nec gratis ac sine probato testimonio certi quid asserere licet.

§. 9. Ejusdem ferè farinae est quaestio: Num Josephus semper fuerit Virgo, & à parte ante, & à parte post? Sane quaestio hæc utriusq; partis gravissimos habuit assertores. *Baronius, Spondanus, Torniellus, Toletus, l. c. in Apparatu* asserunt communem inter Catholicos opinionem esse, quod scilicet Josephus semper Virgo fuerit. Epiphanius verò non dubitavit asserere, ipsum tunc fuisse Viduum, & ex alia conjugè (quam nonnulli *Escham, Bertram: alii Salome, ut Nicephorus*) defuncta genuisse liberos numero sex, quatuor masculos, duas foemellas, *Hippolytus Portuensis Episcopus apud Nicephorum l. c.* nomina masculorum recenset, quod fuerit: *Jacobus, Simeon, Juda & Jose;* foeminarum: *Esther & Thamar.* Hos sequuntur alii. Fundamentum eorum est, quod in sacris fratrum & sororum Christi mentio fiat. Verum hoc caret probatorum Autorum testimonio. Cur autem in sacris illi fratres & sorores Christi vocentur, non est nostri fori, interim consulantur *Chemnitius, præprimis Fes-* *P. 1. Harm. c. 70.*  
*selius aliiq;*. Caterum post 12. Christi annu Josephum mortuum esse non dubitamus asserere, quia posthac, postquam parentes Jesu eum perditum reppererint Hierosolymæ in templo, cum 12. ageret annum, nulla Josephi *Luc. 2. v. 42.* amplius mentio fit. Nec in nuptiis in Cana Galilææ *Job. 2. v. 1.* Josephi, sed solum matris Christi mentio fit. Et quum Christus *Matth. 12. v. 46.* prædicabat non Joseph, sed tantum Maria mater Je-

su &

*hæres. 78.*

*in Matth.*

*p. 372.*

*l. 2. c. 3.*

*P. 1. Harm.*

*c. 70.*

*l. 5. adv.*

*Sar. c. 11.*

*Luc. 2. v. 42.*

*Job. 2. v. 1.*

*Matth. 12.*

*v. 46.*

su & ejus fratres dicuntur steterisse foris, querentes loqui  
*Job. 19. v. 25.* ei. Et: quis quæso dubitet ad crucem Jesu non matrem  
ejus duntaxat, sed & ipsum Joseph, *si tunc superstes fuisset,*  
stare voluisse. Imo si *Josephus,* moriente Christo, ad-  
huc in vivis fuisset, haut dubium Jesus matrem Josepho,  
non Johanni commendasset. Omnino itaq; videtur, Jo-  
sephum jam ante passionem Christi è vita migrasse,  
quamvis quonam vitæ Christi & suæ ætatis anno obierit,  
incertum sit. Ita *Baronius, Spandanus & Torriellus.*

*ad Ann.*

*Chri. 12.*

*ad A. M.*

*4062. n. 3.*


*l. 2. c. 23.*

§. 10. Sed ut in viam redeamus, unde digressi, li-  
bet jam ex *Nicephoro* (Scriptore aliàs fabuloso) quædam  
de forma & statura ac moribus *B. Virginis Mariae* adjicere.  
Lectori autem judicium relinquimus. Ita autem ille:  
*Erat in rebus omnibus honesta & gravis, pauca admodum eaq;  
necessaria loquens, ad audiendum facilis, & perquam adfabilis,  
honorem suum & venerationem omnibus exhibens. Statura  
mediocri: quamvis sint, qui eam aliquantulum mediocrem  
longitudinem excessisse dicant. Decenti libertate dicendi ad-  
versus homines omnes usa est, sine risu, sine perturbatione &  
sine iracundia maximè. Colore fuit frumentum referente, ca-  
pillo flavo, oculis acribus, subflavas & tanquam oleæ colore pu-  
pillas in iis habens. Supercilia ei erant inflexa & decenter  
nigra. Nasus longior, labia florida, & verborum suavitate ple-  
na. Facies non rotunda & acuta, sed aliquanto longior: ma-  
nus simul & digiti longiores. Erat deniq; fastus omnis ex-  
pers, simplex, minimeq; vultum fingens: nihil mollitiei secum tra-  
hens, sed humilitatem præcellentem colens. Vestimentis, quæ ipsa  
gestabat, coloris nativi contenta fuit: id quod etiam nunc san-  
ctum capitis ejus velamentum ostendit. Et ut paucis dicam, in re-  
bus ejus omnibus multa divinitus inerat gratia. Hæc ibi.*

*Atq; hac vice*

**TANTUM!**





154071

AB: 154071


ULB Halle 3  
003 902 811



82

1078  
Vb 17







ae

LXXI.

27

DISSERTATIO  
HISTORICO-ACADEMICA  
ANNIVERSARIA  
PRIOR

De  
**B. M A R I A**  
**V I R G I N E,**

Quam cum  
**D E O**  
&  
Superiorum Suffragio

In  
**AUDITORIO MAJORI**  
publicè  
tuebitur  
PRÆSIDE

**M. JACOBO TYDÆO, Hist. P. P.**

**MICHAEL RENNER,**

Thoruniens. Boruss,  
Ad diem Febr. Anno M. DC. LXVII.

---

*REGIOMONTI,*  
Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT.  
BRAND. ET ACAD. TYPOG.

